



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ulrichi Hvtteni Eqvitis Germani Opera Poetica

Hutten, Ulrich von

[Frankfurt am Main], 1538

VD16 H 6395

Ulrichi Ab Hvttten Eqvitis Germani Ad Invictiſimum Principem Maximilianum Ro. Imperatorem, ut bellum in Venetos cœptum, prosequatur, Exhortatorium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13027

HVTTENICA.

Præterea, quis recta sequi, iustumq; tueri
Vltius sanctum ducet, si præmia uitæ
Ille ferat, morum parte inquinatus ab omni
Ille ferat non uir, qui quæ patiturq; facitq;
Si tribuas aurum, faciasq; ipse, et patiaris,
Condonat, labemq; adimit, purumq; reducit?
Siccine res superum est, humano obnoxia ludis?
Quæ animum capimus ciues, ad nosq; redimus,
Et rectè atq; piè uiuentes, summa putamus
Regna deùm nobis cessura, ipsosq; beatos,
Et sanctos fieri, quos non sanctissimus ille,
Verum opera ipsa beati, eademq; superna recludit
Haud clauis, nullum, quas hic ueterator in usum
Ostendit populo, iactatq; in simplici turba.

VLRICHI AB HVT-
TEN EQVITIS GERMANI AD IN-
uictissimum Principem Maximilianum Ro. Impera-
torem, ut bellum in Venetos ceptum, prose-
quatur, Exhortatorium.

PRAEFATIO.

IN loco audacem esse apud te, si peccatum est Cæ-
sar, peccaui ego, qui hoc ad te exhortatorium con-
cinnavi imprudens. At quid istius temporis aliud
facerem? Tantisper libitum insanire est, dū per etate-
tem possim opera tibi aliqua mea prodesse. Quod si
nunc

EPIGRAMMATA

nunc æquanimiter feres, quam mihi bone Iupiter as-
 gebis ad scribendum industriam? Plane in te ali quod
 est confidentiæ huius stabulum. Ita iam pridem habu-
 isti multos alios. Et potes ita nosse teipsum, ut recti-
 us putes à nobis te uerò laudari, quam falso à Vene-
 tis uituperari. Quibus enim nō impetuerunt te con-
 tumelijs? Quam non ignominiam tibi obuertere co-
 nati sunt, impuri homines, semper in regum ac prin-
 cipum existimationem coaxantes Ranae? Nec suo id
 incommodo. iam experimento cognitū est enim, quæ
 sit hominum de Venetis opinio, quam sua ista sibi pe-
 tulantia pepererunt, immensum uidelicet nominis hu-
 ius odium, quod per omnem passim Europam dissemi-
 natum, iam olim, nunc tandem, aperiente te fenestrâ,
 ac omnem confestim cunctationem abrumperente. Vnâ
 hanc pestem te indignam fortuna alit, qua isti confisi
 insolentes homines, nulli pepercerunt flagitio, & à
 nullo temperarunt dedecore. Qua in re, ut de alijs ta-
 ceam, quid nō moliti sunt, quo te obliquum aduersus
 contumeliosam hanc suam potētiam euerterent, quas
 non fallacias intenderunt? quibus non technis circū-
 uenerunt? quas non fraudes commenti sunt? Nuper
 illi feroces quidem, sed uicti abs te armis, nunc pacem
 quod unum est illis suæ perfidiæ asylum, apud te in-
 ire student, scilicet quo inopinantem post expeditius
 opprimant, hoc iam tum commenti sunt nefas, hoc in-
 uenerunt consilium. Quos, si quando nō dico omnes,
 aliquas saltem dico tuas uires effundere uoles, ita con-

IN VENET.

traheres, ita proteres, ut ipsa si cupiat salus, seruire à te
incolumes non possit. Quid igitur tamen est, cur nota
lis in ceruicibus Venetorum collocare nos? Sed audi,
quid ego in uersibus, declamatorem agens, iusserim.

AD LECTOREM.

Hoc animi iuuenilis opus, meliora sequentur.
Tu modo temporibus suffice Parca minax.
Iam rudis hoc æui est, crescet crescentibus annis.

Vis illa, assiduis usibus alta petens.

Primitias teneri iam nunc lecture poeta

Olim, ita sperandum est, uberiora leges.

Quæ te nunc diffusa umbris defendit ab æstu,

Quo creuit platanus tempore, uirga fuit.

Nil magnum est subito, cuius nunc ista leguntur,

Quale tibi scribet uir modo factus opus?

Sinceriter, citra pompam.

Situa quàm nota est Venetis clementia Cæsar,
Tàm perspecta prius cognitaq; ira foret,
Non tandem hic saperent, genua ad tua uoce coacti
Supplice, tu cassas respueresq; preces.

Quàm facile aduersos sequitur prudentia casus,

Omnia consilium præbet amara dies.

Triste prius quæ bella decem tulit Iliion annis,

Dum gaudet, modico tempore ferre nequit.

Omnia cum Venetis pro uoto ac nutibus essent.

¶

EXHORTAT.

Quae fortuna fuit, non potuerit pati.
 Nunc postquam clades fortuna inuexit acerbas
 Rem desperatum transtulit inq; statum.
 Deserti atq; inopes extrema per omnia currunt.
 Quaeq; iterum faciant irrita, pacta rogant.
 Quis Veneti furor est, ut pacem oretis ab illo,
 Cui paulò ante omnes opposuistis opes?
 Quem, cum pace frui possentis, in arma uocastis,
 An non hoc uestrum est: Si potes, arma capes
 Iussistis ferre arma, tulit, commercia pacis
 Atq; omnis ueniae sustulit illa dies.
 Desinite ulterius sperare, & credere fame,
 Quae nos clementes quae facilesq; uocat.
 Tunc manibus decuit ueniam implorare supinis,
 Cum stent intacto Caesare uestra acies.
 Grassati ferro, igne, ruiistis in omne periculum,
 Tentastis pugnam, pugna sinistra fuit.
 Nunc uicti, quoniam possunt nihil arma, paratis,
 Quae facile est uobis uincere, pacis opem.
 Cernimus insidias moniti, ne tendite frustra
 Retia, iam nostro cognita sepe malo.
 Fallite inexpertos, uetus est haec captio uestrum,
 Qui potis est, nec uult uincere, foedus init.
 Detur ab insidijs tamen hoc procul esse, dolisq;
 Et seruare datam uos didicisse fidem.
 Culpa tamen maior, quam cui quis parcere possit,
 Vestra est, & seram uertitur in ueniam.
 Non est consilium, quòd quis re iam male gesta

Rep

IN VENET.

Repperit, in factis qui sapit, ille sapit.
Pocit in amotis in pace quiescere castris,
Vosq; prius moniti non uoluitis ident.
Desinite inriti uenia. Tu maxime Caesar
Tam cupide Venetis arma rogata cape.
Quod petiere ferant, quoniamq; occasio presens
Versatur, magnæ præmia laudis adi.
Quod nisi contineat tuâ te clementia retro,
Vllaq; susceptum causa moretur opus.
Actum est de Venetis, te Maximiliane sequetur
Splendidior priscis gloria Caesaribus.
At tibi si nondum causæ satis esse uidetur,
In bellum tantæ laudis amore trahi.
Si cur arma geras, nulla est tibi gloria tantis
Ut tueare tamen libera iura, tuum est.
Vis Italas urbes, magnæ uis moenia Romæ
Visere, & in ueteri quæ tua sunt Latio.
Contra audent Venetus conatu exercitus omnẽ
Tendere, & a coepta te prohibere uia.
Idem multa tibi rapuit, centumq; per annos
In spolijs Veneti consenuere tuis.
Qui te sponte sua petiere, ultroq; lacessunt,
Qui tibi multa, tuo qui rapuere patri.
Quiq; tibi primi bellum indixere uolentes,
Quid finis impunes exeruisse manus?
Posce tuos, coeant populi, ferat arma iuuentus
Quæ nunc insolita lenta quiete sedet.
Adde animos causæ, ne te commorit inultum,

EXHORTAT.

Cui nunc maiestas sordida facta tua est.
 Cui nunc, quod patrijs es tardè uiribus usus,
 Germanum uisum est degenerasse decus.
 Quid, quod in arma uocant, & te petiere priores?
 Ah pudet à Venetis quemlibet ista pati.
 Sed quibus à Venetis? à piscatoribus illis,
 Moenia in Euganeo qui posuere fretò.
 Nam qui nunc terras lata ditione gubernant,
 A quibus hoc ipsum nunc mare nomen habet,
 Et qui Germanas ausi contemnere uires,
 In te præcipiti turbine Cæsar eunt.
 Hos aliquis scabram piscatum ducere cymbam
 Vidit, & Adriacum lintre secare uadum.
 Ipsum etiam tantæ urbis opus, cultissima rerum
 Moenia, & in medio consita regna mari.
 Ductaq; marmoreis ingentia tecta columnis,
 Tecta, uel auratis splendida culminibus.
 Quæq; super nihil est humano nobile luxu,
 Si quæras, unde est? una rapina fuit.
 Prima quidem genti Phrygio de sanguine origo,
 Atque Antenoreis prodiit à Venetis.
 Sed quam turpe scelus natiuis expulit oris,
 Ut procul à terris has habitaret aquas.
 Cum quibus exulibus nihil acrior addita uirtus,
 Quodquod in immenso dedecus orbe fuit.
 Prima uiris tenuem piscatu quærere uictum
 Ars erat, & magno parua labore sequi.
 Creuit opus, creuit: fortuna adigente: potestas.

IN VENET.

Et primo lucrum iustius illud erat.
Post ubi se manus hæc opibus firmavit ademptis,
Paulatim accessu est facta superba nouo.
Huc quibus innocui lucro fuit ara cruoris,
Et quibus ad cædem prompta nocensq; manus,
Accedunt, patriaq; sua priuata iuuentus,
Aut aliquo saltem nubila facta modo.
Et quibus auxerunt tenuis periuria census,
Et quibus hæc nouitas spemq; animosq; dedit,
Quosq; frequens cumulus alieni propulit æris,
Et si quis patrias dilapidasset opes.
Et cupidè repetita quibus fuit alea damno,
Consciãq; in quoduis mens sibi facta nefas.
Hi iuncti Venetis ubi piscatoribus essent,
Erexere novos arma uiriq; duces.
Decretum est properè furtiuas ponere sedes.
Et contra ultrices tecta locare manus.
Ergo sibi in medio statuunt noua mœnia ponto,
Mœnia ab incurso salua futura leui.
Tunc occulta prius latè grassata rapina est,
Iamq; palam gens est uiribus ausa suis.
Qualis ad aspectum primi gregis, omnibus agris
Aut lupus, aut rabidus perfurit ore leo.
Quem uesana fames ieiuni uentris adegit
In patula è tutis ire pericla locis.
Cauta legit primum pauido uestigia gressu.
Vitat & oppositas callidus insidias.
Dehinc ubi tuta fugæ prospexit, apertius audet

EXHORTA.

Grassari, medium prosilit inq; pecus.
 Non quisquã auxilio properè subit, impete primo
 Pastorem, & timidos terruit ille canes.
 Haud secus ausa noui furibunda libido senatus,
 Incubuit terris incubuitq; mari.
 Conuentum ad prædam, rapitur terraq; mariq;
 Quicquid in occursum se dederat Venetis.
 Primum ibi finitimi subitos sensere latrones,
 Paulatim à patria est sumpta rapina procul.
 Protulit in scenso classem leuis aura Timauo,
 Atq; aliam in scenso protulit aura Pado.
 Hinc sparsa Illyricos uastauit milite campos,
 Viribus his Italas Adria fregit opes.
 Quæ tamen oblata est ciuili occasio bello,
 Quod primum ancipitem perdidit Italiam.
 Pars decepta dolis consensit in hospite frustra,
 Pars est pro patria nisa suisq; mori.
 Quos ita diuersos Veneti oppressere ruentes,
 Quiq; hostis, temere creditus hospes, erat.
 Ad Patavi muros antiquam Antenoris urbem
 Fulserunt Marco splendida signa suo.
 Capta urbs est gentis caput, extinctumq; uetustum
 Est Veneti generis nomen ab urbe noua.
 Successit Verona potens, quæq; oppida circum
 Belligeri ripas murum habuere Athesis.
 Tunc etiam longo sed forsitan interuallo
 Acta est ad dominos ampla Rauenna nouos,
 Mantua tentata est, subiit Vicentia bello,

Sub

IN VENET.

Submisit lentum Brixia pulchra caput.
Nulla quidem antiquam cinxerunt castra Cremona,
Sed miserè ciues deseruere sui.
His nondum contacta dedit se Crema procellis,
Inde Placentinos hostis obiuit agros.
Frustra aries spissos Mutinae conuellerè muros
Conatus, frustra Felsincosq; fuit.
Imola tunc monita est, allecta Fauentia, sensit
Parma dolos, structas fortis ad insidias.
Hæc Galabras urbeis arma, hæc adiere Sycanas,
Corneliumq; forum, Flammineamq; uiam.
Quo Mediolanum, quo tota Insubria bello
Ut poterant, nullas opposuere manus.
Tempore diuerso res has gessere, nec uno
Momento tanti uim peperere mali.
Forstian historiae quisquam feret ordine scriptor,
Nos ut se memori quæq; dedere animo.
Inde Tridentinos perdit Germania montes,
Quiq; omnes habitant montibus his populos.
Abstulit Illyricos idem impetus, abstulit Istros,
Seq; dedit Verso Marte Liburnus ager.
Quanta esset, potuere pati Cretensia classens
Arma, sed Adriacos non potuere dolos.
Victa dolis Crete, multas secum abstulit urbes,
Inq; illo posita est, insula si qua mari.
Thracia tunc partem, tunc partem Græcia perdit,
Insidias rectè fertq; uidetq; Rhodus.
At tu uicinis frustra monesacte periculis

EXHORTA.

Rex Cypri, Veneto credis, habesq; fidem,
 Infelix gener, & monitus frustrate paternos,
 Ne quicquam temere fraude petitus agas,
 Ergo atrum bibis exitium, mixtoq; uenno
 Præmia sunt Venetis regia facta Cyprus,
 Interea uirtute sua miserata ruemem
 Italiam, ultrices Ianua cogit opes,
 Scuit eques terris, Tyrrhemum possidet æquor
 Miles, & instratas classis obumbrat aquas.
 Succumbunt Veneti, mandata stipendia pendunt,
 Sic illos uinci Ianua posse docet.
 Qualis ubi imbellem leporem, damamue trementem
 Fert lupus, aut pauidam de grege tractat ouem,
 Dum sedet, & pedibus prædam complectitur uncis,
 A tergo celeres audiit ire canes.
 Ipse fugit, uitaq; timet, prædamq; relinquit,
 Quam bonus elapso saluat ab hoste Crotus.
 Talis in Adriacum spectata est Ianua Marcum,
 Conatum à patria ferre palude pedem.
 His tibi cum Venetis res est, hæc gentis origo,
 Hæc facta, hi mores, hæc scelera, hiq; doli.
 Sic cœpere prius, dehinc accreuerè, superba
 Hæc series urbis, conditio, hicq; status,
 Ut pudeat, quos ora Ligus, quos Ianua uincit,
 Hos contra inuicti Cæsaris ire manum.
 I tamen, & quoniam rerum hæc fortuna tuarum est,
 Per modicas laudes, exiguumq; decus.
 Rectius eos peterent tua signa Tyrannos,

Impes

IN VENET.

Imperiumq; Asiæ, Threiciosq; duces.
 Rectius Ægyptum superasses, pulchrius iret
 Sub iuga Iudæus, sub iuga nostra Syrus.
 Nunc cum te in modicos titulos fortuna releget,
 Laus est à media summa ad cunda tibi.
 Scilicet, ut parui imbelles uicisse negoci est.
 Tu modo delectu uiq; frangere tua,
 Hostibus Euganeis ita bellum inferre necesse est,
 Ne pariat magnum parua fauilla rogam.
 Sæpe hæc Caesaribus posita stetit obice contra,
 Vrbs hæc fortunis obstitit una tuis.
 Vendidit hæc Turcis urbes, hæc uendidit arces,
 Hæc Bysantinum prodidit imperium.
 Quo minus has Aquilas Asiæ uideantq; tremantq;
 Quo minus hæc sceptrum molis adoret Arabs,
 Non tu Turca ferox, nec quisquam ex hostibus autor,
 Sed Veneti, nunquam qui tenuere fidem,
 Quiq; ubi communi uoto Respublica Christi
 In bellum uires contulit unanimes,
 Pro ritu sacrisq; suis, uitaq; suorum,
 Fimbis imperij, religionæ patrum,
 Aut ipsi pro se cessant, coeptumq; morantur,
 Aut perdunt socias prodicione animas.
 Omnino in Venetas sumenda est ultio fraudes,
 Morbidaq; hoc pars à corpore habenda procul.
 Ac uelut membrum, si quod sacer ignis adurat,
 Siue lues cancer immedicanda uetus,
 Accurrunt medici ferro, partemq; recidunt.

EXHORTAT.

Ne totum tracta defluat illuue.
 Vrbs hosti sperata, tuis contraria uotis,
 Si sinis, Illyricum prodet & Italiam.
 Donec enim superant, fraus, impostura, doliq;
 Pactaq; iuratis insidiosa deis.
 Virus & insidiæ, non te sinet esse quietum.
 Hoc tu de Venetis scisq; feresq; diu?
 Iam quoq; conanti Latium tibi & Itala regna
 Visere, se medijs opposuere uijs.
 Aspicias hæc, poterisq; pati, Cæsarq; nocari?
 Quin agis, atq; orbis te caput esse doces?
 At quisquis facit hos contra, dijs non facit æquis,
 Et cum fortunæ numine bella gerit.
 Creuit enim, uiresq; iterum tenet Adria summas
 Et se uictori surripuit Liguri.
 Non erumnosum piscando quæerere uictum,
 Non ultra laceras anxia habere casas.
 Imperiosa mari, fortuna elata secunda,
 Et plusquam breuitas temporis ista sinit.
 Vince tamen, ceptumq; armis, tantoq; paratu,
 Prosequere hoc bellum uiribus use tuis.
 Sæpe quod in summum ascendit, multosq; per annos
 Creuit, in occasum dispulit una dies.
 Quod si Marte tuo respublica concidet illa,
 Quæ res nunc tante cepta labore tibi est,
 Signa sui clarè dabit hic fortuna fauoris,
 Quæ si quid uoluit, datq; rapitq; citò.
 Vix tria dum Venetum durauit secula regnum,

Et

IN VENET.

Et tamen hac uisum est amplius urbe nihil.
 Atq; adeo armarit sua ut hanc petulantia contra
 Germanas uires Cesareumq; decus.
 Vince inquam Casar, nec te fortuna moretur,
 Terreat aut, solos uisa sequi Venetos,
 Quæ fuit his propior, primis fauitq; sub annis,
 Hæc eadem uerso cardine tristis erit.
 Quid metuis, ne qualis erat, fors per stet in illis,
 An nescis uarias rebus inesse uices?
 Si quicquam istarum potuit se extollere rerum,
 Illud idem casu temporibusq; ruet.
 Inspice tot mundi discrimina, et inspicere casus,
 Omnia nostra uaga mobilitate labant.
 Quicquid habent homines, rapidum uersatur ad axem
 Et per inæquales itq; reditq; rotas.
 Ipsa sedens medio radios moderatur ab axe,
 Fortuna, et tantum sedula uersat opus.
 Stant homines, circumq; suis data tempora rebus,
 Omnia foemineum flexa sub arbitrium.
 Qui modo summus erat, uel qui modo proximus illi,
 Cum uolet hæc, agili pronus ab axe cadet.
 Quæ paulò ante oculis cum te spectaret iniquis,
 Iniustas Venetæ sustulit urbis opes.
 Crede mihi, ancipitem cum uerterit irrita molem,
 Hunc rerum integrum non sinet esse statum.
 Adde, quod et sceleris piget hos, ueniãq; precatur,
 Dum quanta est, patuit numinis ira tui.
 Sed quia nulla fides illis, qui pacta resoluunt,

EXHORTAT.

Et quia non unquam foedere stare solent,
 Quanquã pacis emant prætextũ, & munere captet,
 Tu tamen è cœptis propositumq; tene.
 Nullus in admissio ueniẽ locus, undiq; causa est,
 In Venetos clemens cur habere minus.
 Quando odiosa tuæ facta est clementia pacis,
 Virtutemq; tuam, criminis instar habent.
 Quando tibi nocuit, quod tu prodesse putabas,
 Iam tandem ire tibi Cæsar in arma licet.
 Sume animos, ueniamq; nega, num parcere fas est,
 Qui prior, & causa non agitatus obest?
 Aut dabis huic ueniam, qui cum requiescere posset,
 Indixit rupto foedere bella tibi?
 Da tamen, & misso pacem largire duello,
 Si pax cum Venetis, suspicione caret.
 Instabilis seruare fidem nequit Adria proles,
 Naturam patrijs traxit ab æquoribus.
 Nemo dat Adriacis, quanquã uidet esse serenum,
 Fluctibus, inducta nauita puppe, fidem.
 Hoc scit nauita rudis, Venetos tu foedera credis
 Firmius Euganeo posse tenere freto?
 Huicq; dabis ueniam, qui si te posset in armis
 Vincere, non pacis congredetur ope?
 Qui creuit fallendo, atq; hac se muniit arte,
 Et qui quos iurat, non putat esse deos.
 Præterea Venetos tibi bellum inferre pudendum est,
 Si quando externis fama dabit populis.
 Tu caput es rerum, tibi terræ subdidit orbem

IN VENET.

Partitus geminum Iuppiter imperium,
Iuppiter est caelo summus, sub Caesare terra est,
Hic sibi mortales subijcit, ille deos,
Quantum est à nigris Nabathæis finibus Indis,
Phoebus ubi rutilum prouehit axe diem,
Ad fines America tuos, quaq; arduus Atlas,
Alta pruinosis sidera fert humeris,
Quantum est à gelidis septem regione trionum
Partibus, ad pluuiæ regna subacta Noto,
Quanquam ita nõ habeas, totum te spectat ad unum,
Quicquid inest terris, sub tua sceptrâ cadit,
Omnia cum tua sint, et se tibi debeat orbis,
Cum subsint regno, terra fretumq; tuo,
Cumq; nihil rerum te sit sublimius uno,
Quid pateris ciues te uiolare tuos?
Iam populosa tuam sequitur Germania laudem,
Tu modo quid iubeas, fortiter illa geret.
Non eget admonitu, cupit ire, ac sponte laborat
Ulcisci, et laudes accumulare tuas.
Sentit enim Venetos, plus quam decet esse, superbos,
Te plus clementem, quam decor iste ferat.
Verum est: nulla salus bello est, paci q; studendum,
Euentus dubij cœcâq; diua monent.
Hostibus hæc metuenda tuis, si numina caelo
Sunt, quibus hoc bellum suscipis auspiciis.
Causa bona est, sumptis admissum ulcisceris armis
Dedecus, hi læsis te petiere deis.
Arguit hos scelærum cumulus, tua causa deorum est.
Nec

EXHORTAT.

Nec magis hæc nostra est ultio, quam superũm̃s
Quæ mora ducendum est dilatum tempore bellum̃s
Hic te clementem terminus esse uetat.
Iulius his pacem dedit, & socia agmina iunxit
Et tua subducta pacta fefellit ope.
Iunxerit, & dederit, sed tu mirabere, fœdus
Qui tenuit nulli, non tenuisse tibi?
Sic tibi fallaces Ligures, sic Ianua nota est?
Italicaeq; artes, pontificumq; fides?
Ducent auxilio Turcas in prælia, ducant,
Quicquid habent Asia, Thracia quicquid habet,
Quas Sulthanus opes, una est Germania contra.
Et si tu moueas, sufficit una tibi.
Imperet in populis Asia, Phrygiasq; per urbes,
Horrida terribilis. sceptrâ Othomanus agens,
Arma regat Scythiæ, regnet Dacisq; Getisq;
Danubijque ferox frenet utrumq; latus.
Belligeros Thraces, Pontique ferocia regna,
Sauromatas premat, Massagetasque truces.
Quaque fremit Pontus, Leandri insignis amore,
Cuius complecti milite possit aquas.
Bysanthique amplas teneat, quas abstulit, arces,
Regnet in Armenios, Cappadocasque suos.
Velocemque Tygrim iuxta, Prusamque potentem,
Pamphyliamque omnem dirigat & Lyciam.
Occupet Euxinum, Tanaïm, & Mœotidos undas,
Qua rigidus crudo Marte Gelonus ouat.
Riphaeasq; arces, pulchrumq; Boristhenis amnem,

Rea

IN VENET.

Regnum agat in Medis, per Cilicasq; uagos,
Per Macedum campos, Oethæoq; ad loca saltus
Edita, Pierijs nobilitata sacris.
Quaq; piger refiuis ludit Mæander in undis,
Ægeum ad pelagus, Ioniumque fretum.
Seruiat huic, quicquid Peneius alluit amnis,
Bebriçieque urbes, quas Galatæque colunt,
Pareat Ioniæ tellus huic, Cares adorent,
Omniaque ad Tauri consita utrumque iugum.
Cantatique urbes Pelopis, perque Arcadas omneis,
Barbarus hoc leges tempore Turca ferat.
Ius Hierosolymis dicat Sulthanus, & omnis
Oppida Iudææ sub ditione regat.
Per Syriam tonet, atq; Arabes uastissimus ille,
Et terat imperij fulmine cuncta sui.
Flumen ad Eufratem, Nilique per ostia septem
Regnet, Idumæas sub pede calcet opes,
Hic ubi odoriferis nascuntur thura Sabæis,
Balsamaque, & longo cinnama agenda mari.
Imperet urbe Tyri, quaq; est rarissima Phœnix,
Ægypti in terras, Æthyopesque mgros.
Caldæosque & opes regis moderetur Erythræ,
Et circum Pharij littora rubra maris.
Ad sacras Iordanis aquas, Memphitis ad urbes,
Imperio Meroën claudat, & Assyrios.
Ingentem Babylona regat, Gazamque potentem,
Hasque omneis Venetis uiribus addet opes,
Omnia pro Venetis, pro te Germania pugnet.

Hæc

EXHORTAT.

Hec manus ad bellum sufficit una tibi,
 Non opus est, flauī ducantur in arma Britannī,
 Utq; armet populos Gallia magna suos.
 Non opus est, equitem trahere in tua castra Polonū,
 Aut in opem Scythicas ducere Pannonias.
 Adde nihil nobis, si quid Germania priscae
 Laudis habet, si quid Martia turba potest.
 Si qua uiget nobis ex rebus gloria gestis,
 Franges hoc Ve aetas milite diuitias.
 Prima Tridentini maturent praelia ciues,
 Omnis ab excussa scuiat alpe furor.
 Et formidati Venetorum clade Tyrolī,
 Exeat Alpini bellica uis Athesis.
 Spargat in accursum Venetis, quos Enus inundat,
 Quiq; timenda lauit Rhoeticus arma Lycus.
 Post sibi finitimos moueatur Brisga Trebotēs,
 Proq; aliquid ueteri laude Sueuus agat.
 Arma gerant Bauari, linqunt sua rura Nemetes,
 Aduolet & felix Austria bella gerat.
 Tum chalibem, durumq; excudens Styria ferrum,
 Carnus, & in pingui rure Carinthus agens,
 Vanio, Vindeliciq; omnes, & Norica uirtus,
 Toruus ab Hercinio uertice Bemus eat.
 Quaeq; adeo gens est, Morauī promiscua ciues,
 Et si qua hoc tractu nomine terra caret.
 Exue Silesios densis cultoribus agros,
 Mitte paludose robora Lusatiae.
 Pergat arenoso piscatrix Marchia tractu,

Quae

IN VENET.

Quæq; metallifero est Misna opulenta solo,
Et læti agrorum de fertilitate Doringi,
Optimaq; armorum portio Francus eques,
Hic ubi se Mogus curuis ambagibus infert,
Et genus inuictæ nobilitatis alit.
Quiq; agit in tetricis uenator montibus Hesus,
Quæq; fouet durum Fagina parua genus.
Arma Vbi tractent: intestinaq; soluta
Lite: noui causam Geldria Martis habe.
Prodeat arma ferens Eburonum exercitus omnis,
Se parci in bellum Iuliacensis ager.
Et nondum imbelles Bataui, Frisijq; feroces,
Et procera rudis corpora Vestphaliæ.
Et Vetraua acies, & nunc Germania Treuir,
Excipe pugnantes Adria Vesterichos.
Quiq; ab utroq; bibunt Rhenanos littore fluctus,
Quosq; uago præceps amne Mosella rigat.
Excipe non solis inhiantes Saxonas obbis,
Quos sua pugnantibus asperat ebrietas.
Inde inuicta acies ueterum genus ibit O: honum,
Quiq; bibunt Albis flumina, quiq; Salæ.
Quorumq; arma duces nigro bouis ore figurant,
In Venetos rapida ui Pomeranus eat.
Dittimariq; rudes, genus insuperabile bello,
Et iuxta Holstadij turba quieta ducis.
Et quæ se Gothico sparsit Germania ponto,
Insulaq; Arctoo Rhugia cincta mari.
Amittant Venetis tristem uada Balihica classent,

EXHORTAT.

ARMA uiros ingens concitet Oceanus.
 Huc quoq; littoreos moueat causa ista Boruffos,
 Finitimos agris Sarmata dura tuis.
 Istula tot Venetis, tot miserat Odera gentes,
 Causaq; diuersos contrahat una duces.
 Quot populis animoq; tuo contente domabis
 Horribili Venetas obsidione manus.
 Ardet, et antiquam repetens Germania laudem,
 Egregie quicquam quod gerat, esse cupit.
 Tanta quibus uirtus animosa in pectora uenit,
 Ut cupiant laudes iugiter ire tuas.
 Sponte sua qui te arma petunt, praebe ocyus illis
 Fomentum pugnae materiamq; nouae.
 Praebe illis, quo se primis exerceat annis.
 Si quis in hac turba sedulus esse cupit.
 Turpe est in primo iuuenes torpescere flore,
 Et nihil aetatis ui meliore frui.
 Turpe est arma tuae tracta rubigine gentis,
 Olim clara foris, nunc latuisse domi.
 Turpe est imbelles populos, Venetosq; fugaces,
 Egregios armis sollicitare duces.
 Germanis uirtutis erat, gerere arma repente,
 Quamquam indicta forent arma mouere prius.
 Proh pudor, ira animo subeat, clementia cesset,
 Vnaq; sit uirtus bellum iniisse citò.
 Quondam nostra foris multa Germania laude:
 Gentibus inuictis nomine terror erat,
 Nunc quatuor toties uicinis undiq; bellis.

IN VENET.

Et ruit in populos quaelibet ira tuos.
Nec tamen ista loquor, quo te his in casibus ante
Unquam adeo segnes dicam habuisse manus.
Aut procul à curis animo torpere remisso,
Armaq; pro patriæ lenta mouere bono.
Notum est ingentes bello subiisse labores,
Notum est tranquillos non habuisse dies.
Suetum anteire loco, pugnaq; exire priorem,
Fungi aliquando ducem militis officio,
Gaudentem castris, et aperto uiuere caelo,
Qui uitæ modus est, quæ seriesq; tuæ.
Ergo age liuor edax rabidum compesce labellum,
Desine de tanto tristia rege loqui.
Desine Cæsareos titulos, pulchrosq; labores,
Vilis homo spurcis comminuisse labris.
Non fugere est, si quis lentam cunctatur ad iram,
Nescis qua deceat hoc opus arte geri.
Tot circum casus pensat Iouis ales ab alto,
Cum uolet, ingentes conciet illa metus.
Sæpe quidem pennas, sed non pro uiribus ipsis
Pandit, et excussis unguibus ampla patet.
Sed non tota ruit, summamq; exurgit in iram,
Omnino uires prosequiturq; suas.
Hactenus hæc populos suspensis terruit alis,
Vindictis hostiles admonitura animos.
Dum tamen ora furens ex causa armabit, et unguēs,
Dum ruet, et totis uiribus arma geret.
Tunc neq; Gallus ouans casu euentuq; secundo,

EXHORTAT.

Quocunq; hoc fiat tempore maior erit.
 Nec bene res Venetum tantam subsistet ad iram,
 Viderit Adriaco fulmina iacta salo.
 Ah potes arbitrium rerum moderator iniquum,
 Deq; tuis factis, ingenioq; pati?
 Ah finis hæc aliquem tibi detrectare tuorum,
 Quæ nunquam iustum promeruerit odium.
 Aude aliquid, factisq; nouis istam elue famam,
 Quæ tamen haud causas unde seratur habet.
 Nunquam aliquis uidit luxu te egisse supino,
 Nunquam aliquis uidit mente uacante leuem,
 Utq; solent Reges mollem deducere uitam,
 Dulciaq; amplecti, delicijsq; frui.
 Semper dura pati, semper fugere ocia promptum,
 Duritia mentem perdomuisse patet.
 Castra uoluptatis nunquam ciuilitate intras,
 Sed tanquam laqueos insidiasq; fugis.
 Et si quando audes, nunquam temerarius inferis
 Arma, sed ex causæ conditione grauis.
 Dumq; inferis, non lentus ades, non ultimus adstas,
 Ex acie primos conferis ante duces.
 Spes mihi per te igitur cunctando restitui rem,
 Quæ nunc ex animo stasq; caditq; tuo.
 Huc ego iam pridem res abs te colligo gestas,
 Quarum est, quam debet laus tibi parta minor.
 Stultum est ex ipso premere, aut extollere casu
 Res gestas, animo consilioq; decet.
 Et quia successu caruit tua magna uoluntas

IN VENET.

Laus ex conatus pondere maior erit,
 Augebitque tuam fortunæ iniuria famam.
 Plus meriti, quàm quis credere possit, habes.
 Tu uaria indomito conflagasti incendia Geldro,
 Adq; tuos tandem iam silet ille pedes.
 Tu moto inuersos prestisti milite Belgas,
 Inque tuum frustra gens stetit illa caput.
 Vidit equos, uiditque tuos tunc Sequana currus,
 Horruit armatas ipse Mosella manus.
 Te Rhodanus tristisque Araris sensere ruentem,
 Inque Pyrenæo culmine castra locas.
 Tunc Mediomatrix sensit tua signa, timentes
 Tunc Senonas bello, tunc Heduosque petis.
 Nec procul hinc natum funesta strage Philippum,
 Plurima post tandem millia caesa refers.
 Et te iam regem ducibus pater ipse coactis
 Dixerat, assensu consilioque ducum,
 Eijs a patrijs Matthiæ castra Tyranni
 Sedibus, in regno sederat ille tuo.
 Austria tunc armis, tunc magna Vienna recepta est,
 Et tibi se totam Pannonis ora dedit.
 Omnia cæde reple, & ne sine testibus hoc sit,
 Ister ab hostili clade cruentus abit.
 Nec tibi uulgares soluit nigra factio pœnas,
 Quam laquei infami morte perire facis.
 Quo pater Huttenus bello tua signa secutus,
 Sæpe mihi dixit, quantus in arma ruas.
 Sensit enim uiresque tuas, sensitque uigorem,

EXHORTA.

Cum manibus tantum prosequeretur opus,
 Undiq; pacatis rebus, belloq; receptis,
 Quando hostile nihil iam superesse putas,
 Tunc uerò Heluetij sylua atq; è montibus illis
 Ausi, in te uires constituere suas.
 Quos licet, ut deceat nondum superasse puteris,
 Et res in dubio pendeat ista statu,
 Hora tamen ueniet, intermissoq; triumpho
 Aptius hoc olim tempore tempus erit,
 Inuidit fortuna tibi, laudemq; morata est,
 Sæpe prius magnis obuia facta uiris.
 Cumq; foret, que te cœpto reuocaret ab isto
 Causa, refers populos hoste petente tuos,
 Quinetiam obsequio tibi coniurasse futuro,
 Notum est, & dextris foedus inisse datis.
 Ut si nunc quicquam pro te minus egerit æquum,
 Perfida dijs ipsis testibus arma gerat.
 Traxerat Eoos Bauarorum in rura Bohemos,
 Dux Rheni, & magno est gens tua pressa metu,
 Illico sublatis commisces prælia signis,
 Vixq; tuo tandem milite septus ades.
 Quãdo unū (ut fama est) medios furor egit in hostes,
 Audentem prima conferere arma acie.
 Ingentiq; animo populum turbare ferocem,
 Cum iam telorum septus ab imbre fores.
 Hinc spolijs diues, caesoq; ex hoste superstes,
 Marte Palatini castra Leonis adis.
 Quorum cur modicum liuor tibi pendat honorem,
 Quod

IN VENET.

Quòd penè in patrio est res tibi gesta solo.
In promptu causa est, non te fortuna sinebat
Ire foras, dum sunt tanta gerenda domi.
Sæpe quidem bellum cum iam transserre paratus.
Causa noua in patria quæ retineret, erat.
At quanta interea est externos gloria reges
Pacatos solo continuisse metus?
Aut refert patriam factis seruasse, manuq;
An bene re uisa, consilioq; ducis?
Hactenus internas componere præstitit iras,
Resq; alio pacto non potuere geri.
Nec potes in bellum discordes ducere gentes,
Non bene sedatas compositasque prius.
Utq; opifex docili parat instrumenta ministro,
Et quo quid faciat, factum habet ipse prius.
Sic quo bella geras populo, quo milite pugnes,
Prospicere, atq; opus est ante parare tibi.
Iam tamen hoc factum est, nec habet Germania bellum.
Per te intestino libera facta malo.
Tempus adest Venetas armis excindere uires.
Tempus adest laudes accumulare tuas.
Iam potes hoc clarè, iam te tempusq; locusq;
Quoq; incas melius prælia, causa iuuat,
Causa iuuat, tu coge duces, tu collige uires,
Opportuna tibi bella parata uides.
Ignescunt animi, furit inflammata iuuentus,
Ut ere quod præsto est, quæq; parata uides.
Olim ardor feret iste retro, flammaq; tepebunt.

EXHORTA

Seque interposita leniet ira mora,
 Ne sine dilabi, iuxta est occasio Cæsar,
 Quo propior, cupidè hoc arripienda magis,
 Quod ratione geri petit, omninoque gerendum est,
 Præsertim instructis præstat adire citò,
 Nam si lenta tuas cunctatio fregerit iras,
 Quod medium est, Vexetis tempus obesse putas?
 Principium est illis reparandi hoc tempore belli,
 Irrue, quàm uirtus creuerit ista prius.
 Tempora dant dilata uices, citraque laborem,
 Opprimitur, cum iam nascitur, omne malum.
 Turpe est, cum possis, Venetos non uincere, peius
 Hic alijs si te deside cedat honor.
 Nam nisi tu facias, nisi te duce bella gerantur,
 Forsitan in populo qui gerat, alter erit.
 Ne sine te Cæsar priuari laudibus istis,
 Atq; alium palmam præripuisse tibi,
 Iam ferus Italiam successibus occupat æquis
 Gallus, & in laceri pelle leonis ouat.
 Et nisi tu uenias, nisi te intrmittere certes,
 Ille tuos titulos, nominaque ille tulit,
 Si te nullus amor patriæ tenet, & tibi præstat
 Ocia in experta carpere durtie,
 Hoc saltem stimulet, saltem hoc te mordeat intus,
 Linica quòd uelis prætulit ille tuis,
 Quodque præit laudes Gallorum gloria nostras,
 Gloria, fortunis nobilitata suis.
 Quæ postquam è somno Germanas sentiet iras.

IN VENET.

Iam tandem dicet: me minor aura iuuat,
 Certum est te Venetos primum hæc in bella uocasse,
 Certum est hos, fines marie adiisse tuos.
 Redde uices, neu sic poscentibus arma, recusa.
 Ut nolis, causa cogris esse ferox.
 Adde prophanatas leges, ruptamque nec una
 Fraude fidem, & roties fœdera lesa tibi.
 Adde deos nuper contra, & socialia iura,
 Quatuor à Veneto nullia cæsa duce.
 Tot bello afflictos populos, urbesque subactas.
 Mista prius multis, mista uenena tibi.
 Tum quod in exemplum possunt ea crimina duci,
 Conijce, ni fœdum pœna sequatur opus.
 Quod nisi de Veneta sumenda erit ultio fraude,
 Hoc poteris bellum sponte iniisse tua.
 Vnius ob raptum nuptæ socia arma sequuti,
 Eruerint Danaï Pergamæ celsa duces.
 Ausa sit Oebalij soboles animosa Philippî
 Humanum bello sollicitare genus,
 Mouerit affines raptarum cæusa Sabinos,
 Aduersus Romam contrahere arma nouam.
 Nos Venetos regno tumidos, & nostra petentes,
 Ferre extra patrias arma sinemus aquas?
 Quàm molles olim populi, bello que minores,
 Ne sine Germanos non potuisse magis.
 Quæ natura loci, quæque ars ab origine gentis,
 Institor Adriacus uendat ematque piper,
 Cui minus est, patrium piscando nauiget æquor,

EXHORTAT.

Spem lucri paruum possideatque scaphant.
 Tu natos è Marte uiros ne crede timeri,
 Dum finis à Marco semileone peti.
 Vsq; adeò pudor est, quòd nos Veneta arma laeessant
 Tum quid si contra, tu nihil ausus eas
 Consule temporibus, uideant tua facta nepotes,
 Dumq; licet, famam posteritatis adi.
 Gloria queratur tibi Persidos emula Cyri,
 Nitere Pellæi uincere gesta ducis.
 Ad Lacedæmonios animo contende triumphos,
 Thebanas laudes Cecropiumq; decus.
 Vince graues Marios uirtute, amplosque Metellos,
 Fabricios, Curios, Scipiadasq; bonos.
 Pompeiumq; senem, sed adhuc sua fata sequentem,
 Quæq; repemini Cæsaris acta canunt.
 Vince inquam, tantoq; magis, quòd qui ista gerebant,
 Horum quam nostra est bellica fama minor.
 Effice, ne uideant illud tua tempora primum,
 Quòd quis Germanis fortius arma gerat.
 Iamque oculis propone duces, propone Tyrannos,
 A quibus hoc quantum est, nobile stemma trahis.
 Ut pudeat, si non his te maioribus æques,
 Qui famæ implerunt omnia laude sua.
 Ecce ruunt Cymbri, & collectis Teutones armis
 In Latium, & Romam non sine clade petunt,
 Ecce alacer magnis Romanum uiribus ausum
 Arminius uicta deiicit è patria.
 Et qui te propius contingit rumor, Othones,

Nono

IN VENET.

Nonne uides toto nunc etiam orbe cani?
Et Friderichorum fama superesse triumphos,
Infaustum Latijs urbibus exitium?
Sic te ex plebe leua, sic te super æthera tolle,
Duret ut & nomen secula longa tuum.
Sed iam bella paras, iam totis uiribus audes,
Iam cita concepto castra furore moues.
Iam ruis in Venetos, & te timet hostis euntem,
Non opus est monitis ad tua coepta meis.
Annue Christe duci, quem tu hæc in regna locasti,
Annue ad intuitum militat ille tuum.
Da pauco Venetos superari sanguine ciues,
Da tanta exiguo bella cruore geri.
Agnoscant Veneti dominum, suaq; omnia dedant,
Et subdant posito colla recurus iugo.
Aut quia se toties non agnouere monentem,
Tam iusta immisis dirige uela notis.
At tu pascere animum uotis, & uindice bello
Cesar in arma tibi facta molesta rue.
Neue impune ferat, si quis te læserit hostis,
Prouocet, haud iustas iniiciatq; manus,
Compesce hanc Venetum rabiem, stolidumq; furorem,
Ut quisquam exemplo cautior alter eat.
Hi sunt, qui Venetos Troiano Antenore natos,
Atq; alia imperio surripuere tuo.
Hi sunt, qui Romam tibi, & Itala regna petenti
Dixerunt: contra, si potes, arma cape.
Arma igitur capias, spe plena atq; auspice Christo,

Omnia

EXHORTAT.

Omnia sunt coeptis læta futura tuis.
 Nescio quid uatum statuunt præfagia de te,
 Sunt quoq; qui dicant astra fauere tibi.
 Astra fauere tibi, & Veneto metucenda Leoni.
 Dura uolubilibus signa notata polis.
 Omnia tuta uides, sume arma, & tela capesse,
 Debentur laudes hac quoq; parte tibi.
 Post confecta olim Romanus bella Senatus
 Deceuit ducebibus nomen ab hoste suis.
 Atq; alijs titulum Libyci peperere triumphi.
 Nonnullis decori Gallia uicta fuit.
 Creta potens alijs, & bello pressa Corinthus,
 Ille suis Numidis, Thracibus alter ouat.
 Quosq; ægrè uicit Romana iniuria Cymbros,
 Et de Pellæa lata trophæa domo.
 At tibi, qui iam se mundi caput esse putabant,
 Cum uinces, quantæ nomina laudis erunt?
 O eat illa dies, quæ si bene colligo, iuxta est,
 Qua tibi de Veneto ciue triumphus erit.
 Qua niueis duceres equis, curruq; superbo
 Post ostentatas lauriger ibis opes.
 Non ego tunc solidas tristlabor in hoste catenas,
 Appensosq; pedes, implicitasq; manus.
 Ducantur proceres urbis sub imagine tantæ,
 Ad tua pomposus plaustra senatus eat.
 Insultet spolijs diues Germania lectis,
 Plenâq; sint Venetis omnia diuitijs.
 Ite triumphales (ita uertitur) ite cateruæ,

IN VENET.

Maximus hoc iuris Æmilianus habet,
Scribite Germani uictura poëmata uates,
Et decori uestro nomina longa date.
Assere Cæsareas quisquis potes, assere laudes,
Materia ad numeros hæc erit apta tuos.
Hic quod nostra probet, quod postera diligat ætas,
Immortale bonus texat Erasmus opus.
Hic se dignum aliquid Musis extorqueat Hæffus,
Buschius hic carmen libera lege Crotus.
Me quoq; ducit amor, præterq; tot ultimus omnes
Augebunt numerum, qualiacunq; canam.
Omnia lætentur, persoluant omnia laudem,
Iam Venetos bello Maximilianus adit.

VLRICHI AB HV T TEN EQVITIS GERMANI, DE PI scatura Venetorum, Heroicum.

EXierant Veneti piscatum, ita fata ferebant,
Non uni Veneti, toto genus orbe coactum,
Et feces populorum, & magni opprobria mundi,
Inter se iunxere manus, & pacta uicissim
Constituere, humiles primum tulit Adria euntes.
Retia panduntur, curuis contenditur hamis.
Feruet opus, cadit omne genus, quod uiuit in undis.
Ipsi agili cymba, & curua rate fluctibus errant,
Et non lata uagis audent petere æquora lembis.

Hæc